



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

Zachowen Lubicensi canonico, Iohannis in pontificatu  
 successore, consilio, Henricus dux iterum contendit cum  
 eisdem praelatis ad Sigismundi regis praesentiam: sperans  
 eundem regem, assumptis electoribus, rem omnem per  
 compositionem dirempturum.

## CAPVT XXXIX.

**V**bi peruenit Henricus dux in curiam regis Ro-  
 manorum Sigismundi, vidit aduersantem sibi  
 regem. Sigismundus assumptis, qui aderant, nonnullis  
 principibus & baronibus, instructus ad causam documē-  
 tis, quae nuper eius nuncius ex Dania attulisset, senten-  
 tiam promulgauit: Henricum, Adolphum, Gerhardum,  
 Holsatia comites ducatum Slesuicensem iniuste possi-  
 dere, & ad illum regi Danorum restituendum conde-  
 mnauit. Lata sententia, Sigismundus se interponens  
 compositioni, exhibuit regis nomine danda ducibus in  
 vim concordiae trecentena aureorum millia, insuper La-  
 landiam ad ducatus possessionē euacuandam. Sed Hen-  
 ricus dux auersas habuit aures: & ab iniqua sententia  
 summi pontificis audientiam appellauit: Hoc erat lau-  
 dum reducere ad arbitrium boni viri. Nam quod fue-  
 rit sententia legitimi iudicis, prorsus non intelligo, nisi  
 se sponte rex Imperio subiecerit, quod procures passim non  
 fuissent. Dux misso in eam causam procuratore ad Vr-  
 bem Nicolao de Sachowen, obtinuit causam committi  
 Theoderico Colonensi archiepiscopo. Sigismundus in-  
 dignatus summo pontifici, quod causas coram se per  
 sententiam terminatas atrectare tentaret, multa fecit,  
 ut Papa commissionem reuocaret. Sed ubi causa iuris  
 prosequendi substitit, cetera sunt militari manu exe-  
 cuta, quemadmodum in Dania sumus exequuti: Nunc  
 hoc solum attingentes, quod Saxonice rebus inmittitur.